


Georgii Henrici Goetzii, D. Svp̄rint. Lvbec. Dissertatio Theologica, De Fide Magorvm, Christvm Recens Natvm Qvaerentivm, Et Adorantivm, Germ. Von dem Glauben derer Weisen aus Morgenlande, welche den neu-gebohrnen Heyland gesucht und angebetet : Ex Matth. II, v. 1 - 12

Editio II, Lvbecae: Literis Schmalhertzianis, [1714]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1016040296>

Druck Freier  Zugang





Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1016040296/phys_0001

DFG

Nr 83.

Propositio N^o 83.

KB NB 0189.1-36



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1016040296/phys_0002

DFG

Conspectus Contentorum

- I. Lütkeni Collegium Emphasiologicum
- II. Walthers Exegesis Epistolae Iudae
- III. Woxenii observationes Critico-biblicae
- IV. Ejmi farrago Thesium Theologicarum - 74.
- V. Wernsdorffii Anthropologia Salamonea ex Eccl. 7. 29. 126.
- VI. - de gustu spirituali 154.
- VII. - de Illuminatione Cordium ex 2 Cor W. 6. 178.
- VIII. - de regali fidelium Sacerdotio 204.
- IX. **235** de Arndii libro cuius tit: Verus Christianismus
- X. Gleibens tres epistolae Arndii libros de Veris Christi. convergentes 266.
- XI. Weidners de usu Musicae in Ecclesia Christiana 278.
- XII. - de Communione Pororum 346.
- XIII. - Super loc Zach. c. IX v. 11. 369.
- XIV. Goetzii de Fide. Magorum 387.
- XV. - Adversus Systema M. L. Gerhardten 399.
- XVI. - non von Langstrafman. 411.
- XVII. a Seelen de Sigillo mystico Cant 8. v. 6. 421
- XVIII. - de Cantico Canticorum 439.
- XIX. - de Lege Regia 443.
- XX. Ohladerig de Theomachia cavenda. act 5. 39. 447.

- XXI. Schergers Historia Joultera ex Joh 8 p. 1. 2 461.
- XXII. Hebenstreits de Davidis cam Utre in fumo Comparatione P. 119. 83 48
- XXIII. Schmidii Jo. Andr. Minister Ecclesie omnibz omnia long 22 511
- XXIV. Gebhardi Narratio Cantici Deborah et Baraci. 531
- XXV. Kuhnert de panno novo Veteri Vestimento non affuendo 565
- XXVI. Merckeri Medit super locum Zeph 1. 9. 581
- XXVII. Fabricius de propheta Noachi Gen 9 25 599
- XXVIII. Kemmerichig de Eloquencia Jeremie 619
- XXIX. Loade de modestia eruditorum 635
- XXX. Brechtig de Spiritu prophetico Eccl. N. T. promissa Joel 2. 29 654
- XXXI. Werenbergius de Jugo Jeremie 686.
- XXXII. Walchig de Enthusiasmo Veterum Sapietarum et orat. 700
- XXXIII. Wolfius de Sapientia Sinceriorum — 744
- XXXIV. Harpergers Landtags freudig 758
- XXXV. Taylors Umgang des freudens und der Jüligkeit 80
- XXXVI. Krausens räthliche Betrachtung des Todes 843



GEORGII HENRICI GOETZII, D.
SVPERINT. LVBEC.

DISSERTATIO THEOLOGICA,

DE

FIDĒ MAGORVM,
CHRISTVM RECENS NA-
TVM QVAERENTIVM, ET
ADORANTIVM,

GERM.

Von dem Glauben derer Weisen aus Morgenlande/
welche den neu-gebohrnen Heyland gesucht
und angebetet.

Ex Matth. II. v. 1-12.

QVAM

AD D. IV. IANVARIJ, A. MDCCXIV.

SACRIS ORDINATIONIS ECCLESIASTICAE
INITIANDVS,

PROPVGNABIT

IOHANNES REICHE,

LUBEC.

VOCATVS ECCLESIASTES AEGIDIANVS.


EDITIO II.

LVBECÆ,

LITERIS SCHMALHERTZIANIS.

387





P R Æ F A M E N.



Tempus illud exoptatum, atque tot votis piorum expetitur, redit iterum in circulum, quod, Filii Dei Nativitatem, ex virgine factam, grata perpetuaque memoria recolendam esse, singulos admonet & hortatur, quo in vera in Christum fide magis atque magis isti confirmentur. Quamvis enim in divinis sacrarum litterarum monumentis, quæ publice prostant, omniumque teruntur manibus, illius veritas abunde satis confirmata sit, ut non nisi desperata malitia homo eandem vel in dubium vocare, vel impugnare, queat, non immerito tamen creberrimis sermonibus vel exercitationibus ista repeti debet atque inculcari, ne ullum prorsus mortalium lateat, magnum ac memoratu non indignum peccato infectis hominibus exhibitum fuisse beneficium. Etenim, non solum Judæorum bono datus est Filius Dei, sed ad reliquas etiam pertinet gentes, extra veram Dei Ecclesiam constitutas, quotquot ejus nativitate meritoria vera fide perfrui exoptant. Equidem genti atque profapia, imo regioni, Israëlita ortum suum debet vindicatque desideratissimus generis humani Redemptor, veruntamen, excepta hac prærogativa, huic nationi minime invidenda, omnes præterea homines, sive Judæi vocentur, sive gentiles, aut incircumcisi, audiant, illius virtute & merito, amissam Dei gratiam, libertatem, & reliqua erepta, recuperare poterunt, iisdem immortaliter atque æternum, si in fide ad extremum vitæ terminum usque permanserint, gavisuri.

Quo

LIBRARIUS SCHMIDT

Quo vero meam sententiam exemplo quodam luculentissimo probatum dare possem, ad illustres illos Viros, *Magorum* cognomento inclytos, Christum recens natum enixe quærentes, pieque adorantes, universos respicere jubeo. Hi enim, extra pomoeria Judæorum nati atque educati, atque ab ipso Deo edocti & ducti, urbem principem terræ sanctæ, ac Regiam sedem intrabant, ut illum in ista invenirent Regem, sibi que propitium redderent, quem venerabundis animis excipiendum ac prosequendum esse haud vane augurabantur. Quamobrem non immerito de iisdem pronuntiari potest, quod præclara & illustris fides in ipsorum cordibus fuerit conspicua, atque haud uno documento, peregrinatione puta molestissima, & cultu prorsus singulari, ac donorum deinde oblatione, promptoque obsequio, declarata. Et hæc ipsorum *fides* digna mihi visa est, quæ una alterave Exercitatione, pro temporis viriumque mihi concessarum ratione, uberius exponatur, confirmetur, atque illustretur. Quamvis enim varia, ad *Magorum* Historiam pertinentia, à diffusæ eruditionis Viris collecta & notata deprehendantur, ut vastum propemodum volumen iisdem impleri possit, parcius tamen argumentum illud, quod *Fidem* ipsorum complectitur, pertractatum fuisse constat, ut operam propterea & oleum minime perditum iri judicem, si enarratius de isto agatur, atque, *Magos* vera fide præditos fuisse, liquidius demonstraretur. Circa hoc negotium tamen ita me geram, ut, posthabitis minus necessariis, atque longius petitis, ea tantum hic adducam, ac, testimoniis gravissimorum Virorum suffultus, repetam, quæ arcem causæ ingredi videbuntur, analogiæ fidei erunt conformia, nec non ex historia sacra probari poterunt, argumentisque sat idoneis confirmari. Manum itaque operi huic admoturus, atque nunc generaliter nonnulla de *Magorum Fide* producturus in medium, Deum ac Dominum meum, in

4
280
☩ (o) ☩
carne manifestatum, supplex veneror, & adoro, ut copiosissima Spiritus S. gratia mihi adesse, atque labores hosce sacros felici successu beare, meque, veræ fidei compotem reddere, haud dedignetur, quo admirandas Dei, gentes ad veram Ecclesiam ducentis, vias scrutari, agnoscere, admirari, deprædicare, imo singulis notas facere, eo melius rectiusque susineam.

THESIS PRIMA.

De Fide Magorum solus, ex Evangelistis, Matthæus, est commentatus.

Ἐκ θεοῦ.

§. I. **A**Nte vero quam de *Magis*, quos *fide salvifica* haud destitutos fuisse, nunc probaturus sum, nonnulla in medium proferam, statim ad ipsam Scriptorem *θεόπνευστον*, Christi res gestas describentem, cui narrationem hanc acceptam refert Christianus orbis, accedo, ostensurus, illius ductum vel maxime esse sectandum, ac reliqua, in doctorum Virorum monumentis obvia, iudicium exposcere, diligentemque investigationem. Dum vero inter Evangelistas *Matthæus* primum occupat locum, in ejus quoque Libro mentionem horum Virorum injici deprehendimus. Rationem, cur solus Matthæus ipsorum meminerit, indagare vult Clariss. *Dn. M. Andreas Herold*, (*B. D. Andr. Heroldi*, olim Rectoris Revaliensis, & postea Herzbergenf. & Ileburgensium Præfulis, Filius natu major) in *Dissertatione Historico-Philosophica*, de *Magis ex Oriente, qui Regem suum apud Judeos questum invenerunt*, Lips. A. MDCCXI. conscripta, *Cap. II. §. 2. p. 9.* existimans, Matthæum, ut publicanum, cognitum habuisse, hosce Viros olim vectigalia exsolvisse, adeoque ipsum Deum, ejus præexistente notitia in commemoranda illorum Historia, uti voluisse. Ita enim

nim



§ (o) §

384

nim verba in laudata *Dissertatione* fluunt: *Erat Matthæus noster* ex publicanorum numero, & quod ex horum universalis contemptu, & separatione fuit, genere: imo, eorum familia, qui Capernaï à peregrinis omnibus vectigalia exagitabant, & ab his Magis, qui vel recta, vel alia illa reversionis via, hunc celeberrimum portum transferunt, didrachmas acceperant, hinc ratio apparet, cur solus Matthæus, hanc totam Hierosolymam conterrentem, triginta tamen, à Christi nativitate ad prophetici sui officii exordium, annorum longitudine plane sepultam, historiam notaverit, & omnibus necessariis circumstantiis plenam tradiderit; Siquidem Spiritus S. non in vetero more in immediato Matthæi ad scribendum impulsu, hac ejus præexistente notitia uti potuit & voluit. Verum, num hæc ratio immoto subnixæ sit fundamento, aliorum esto judicium. Forsan enim cui dubium oriri posset, num Matthæus isto tempore, quo Magi Hierosolymam venerunt, publicani defunctus sit munere? Ac, posito, eundem hæc partes subiisse, num propterea solus Matthæus eandem historiam descripserit? Ego sane existimarem, Deum, pro liberrima sua voluntate, in consignandis rebus gestis Novi Testamenti, ministerio sacrorum Amanuensium usum fuisse, & modo huic, modo illi scriptori, historias quasdam sacras, suggestisse & inspirasse, ut illi soli easdem scriptis complecterentur, ac voluminibus suis insererent. Sic nonnunquam sacri Scriptores, rerum quarundam, ab ipsis calamo exceptarum, testes fuere oculati, prout ex *Job. XIX. v. 34. 35.* liquet, aliquas autem descriptas dederunt, quibus plane non interfuerunt, & quarum notitia fuerunt imbuti à Deo, easdem cum illis communicante. Eadem ratione censere quis posset, Matthæum solum Magorum res gestas descripsisse, non propterea, quod ex publicanorum fuerit ordine, sed quod ipsi Deo ita placuerit, ut hic solus istas enarraret. Difficile enim valde est, causas rerum indicare velle,

6
§ (o) §
cur Matthæus tantum de Magis, Lucas vero de Circumcisione & Præsentatione Christi, Marcus & Lucas de Ascensione ejus, atque Johannes de oratione illa solenni, ante passionem ad Deum directa, ex instituto sint commentati. Quicquid vero sit de eo, Virum enim doctissimum suo abundare patiar sensu, majoris tamen momenti negotium esse credo, nosse, Matthæum tum non præter causam Magorum institutum commemorasse, tum ad ipsius narrationem unice esse respiciendum, re-
jectis commentitiis illis relationibus, quarum in aliorum scriptis haud exiguus invenitur numerus.

§. 2. Prius autem insinuat notissimus ille Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Episcopus, *Johannes Chrysostomus*, cujus verba *Balthaf. Corderius in Symbolis Græcor. Patrum in Mattheum T. I. f. 21.* exhibet, latine versa, ita sonantia: *Neque peregrinatio Magorum non certo hic consilio exposita est; sed magnam & commemoratu dignam ob causam. Nimirum ut convinceretur & simul confunderetur pervicacia Judæorum, ex quibus Christus secundum carnem. Si enim cum Magi genere Persæ, institutione Idololatæ, fidei cultuique demonum addicti, certis ex signis odorati advenisse Christum, quesitum inventumque donis agnovissent. Judæi è contrario unius in Dei supremi religione nati educatiq; libris ejus Spiritu dictatis, lege quoque ejus digitis scripta; legisq; latorem, non crediderunt, quomodo non pudore quodam incredibili suffundantur? Hujus igitur rei gratia Evangelista tum Historiam exposuit, tum quid illa spiritualiter innueret, non dissimulavit. Quod autem ab Oriente advenisse Magi memorantur, valet, ad objurgandam vehementius duritiam Judaicam, pudorisque sensum acriorem imprimendum. Utique cum Judæi Regem Gloriæ, quem apud se commodum haberent, cognoscere dignati non sint. Persis interim tanto via intervallo atque incommodo summos ipsi honores delatum euntibus. Sensus ergo verborum est, Matthæum ad convin-*
cen-

cendos redarguendosque Judæos hanc historiam texuisse, & Libro sacro, idiomate Græco scripto, inseruisse. Neque tamen insimul dissimulandum est, sanctissimum huncce Virum Gentium vocationem hoc ipso notare voluisse, atque, Christi nativatem Ethnicis pariter innotuisse, & proficuum fuisse, monuisse. Eo forsitan respicit Rich. Montacutius, doctissimus Anglus, Orig. Eceles. P. I. f. 210. seq. causas subindicaturus, cur Pastorum & Magorum Historiæ ab Evangeliorum Scriptoribus fuerint adornatæ. Illud non est prætermittendum, cum de Pastoribus & Magis Historiarum in Evangelii mentionem faciendam disponeret DEUS: Lucam ortu Gentilem: erat enim Profelytus Antiochiensis, Pastorum Historiam, commemorasse, quam Matthæus, Judeus ortu, non attigerat. Et Matthæum, Judæum genere, narrasse Magorum Gentilium adventum, quem Lucas de Gentibus prætermiserat. Ita suos uterque quasi neglexit, & in alienis predicandis impendit operam. Nimirum primo, ut sic veritati consuleretur, cum de προσπαθείαις vel affectionibus, nulla suboriri suspicio posset justa, quam fortassis malevoli subingessissent, si de Gentis suæ prerogativis, veluti contendentes, instituerant narrationem. Secundo, videtur hoc in figura contigisse. Erat enim in aeterno consilio Dei, sed & subinde revelato futurum, ut populus, non populus, Dei: hoc est Judæi, Gentes, Fratres tandem & συμπολίτας deposita, quæ se invicem emulabuntur, invidia, quasi mutuis operis, conspirantibus votis, alternatim salutem suam, & divinam in sua salute gloriam procurarent: ab illius nimirum exortu auspicati, qui diruta macerie separationis, utraque unum fecerat, atque, id ut factitaret, venerat.

§. 3. Posterius deinde, ad Matthæi scilicet descriptionem unice esse respiciendum, observatu vel maxime dignum esse arbitror, quo aurum à scoria, gemmæ veræ à falsis, certa ab incertis, eo feliciter discernantur. Nemini enim incognitum esse

esse credo, quamplurimos fabulas de Magis afferre in medium, quæ vix ac ne vix quidem probabilibus nituntur conjecturis, licet antiquitate se tueantur, atque apud Viros gravissimos patrocinium inveniant. Sic *Is. Casaubonus* in *Exercitat. Anti-Baron. p. 160.* non immerito miratur, Bibliorum Duacensium Editores Magorum nomina apposuisse, variisque commentis margines inquinasse, ac si ista tam evidentis essent certitudinis, ut citra ullam hæsitacionem afferri, librisque sacris interferi, possent. Quamobrem celeberrimus Vir prudentiam hisce in rebus adhibendam esse graviter hortatur, animique sui recessus hisce verbis ad perlustrandum aperit: *Nobis placet impense in talibus, curiosas quæstiones evitare, & τὸ ἀπολογεῖσθαι ἰσχυρῶς in hoc ipso argumento divinis verbis à Basilio commendatum, non enim potest Deo esse grata curiositas, quæ per conjecturas inanes ἀεὶ ὀρεῖται in fenum, hoc est, fabulas & nugas desinat tandem oportet, quod in hac vere admiranda historia usu venisse, dolendum non minus, quam certum est & compertum.* Hujus ergo, at quanti! Viri judicium atque exemplum me nunc admonet, ut inani curiositati fibulam imponam, vulgo credita ad Historiæ sacræ, divinitus traditæ, narrationem revocem, eaque, quæ ex traditione hausta fuere, atque aliis relicta, & per manum quasi tradita, imo ad posteros transmissa, diligenter examinem, & quantum distentata lupinis, ingenue exponam. Traditio enim parum antiqua, parum certa, & propter abusus insecutos intolerabilis, omni studio est deserenda. Magno quidem in pretio monumenta Patrum ac Doctorum veteris Ecclesiæ haberi debent, verum persæpe illa variis commaculata sunt assertionibus ab hominibus otiosis & fabularum architectis, ut pro genuinis censerentur ac venditari haud possint. Ut non dicam, Patres haud raro licentia oratoria, quam pii concionatores prudenter sibi tribuunt, fuisse usos, vel conjecturas quasdam & observatio-

nes



nes adduxisse, quæ quidem fidem ipsam non impugnarunt, pa-
 rum tamen fundamenti habuerunt, atque proin admitti pro
 indubitatis nequeunt. Sic forsan ex triplici illo munere, quod
 Magi obtulerunt, & Matthæus commemorat, tres fuisse Magos,
Leo Magnus & Maximus Taurinensis, collegerunt. Hanc ve-
 ro illationem valde vacillare, ecquis non videt? Quapropter
 auctoritas horum Virorum in tantum est sectanda, in quantum
 ipsa historia à Matthæo descripta permittit. Haud dissimili
 ratione sequentia *incerta*, & *fabulis simillima esse*, unicuique
 constare credo, quæ ex *Collectaneis Bede* excerptis laudatus
Montacutius l. c. f. 212. de Magorum nominibus, forma exter-
 na, & vestimentis, hisce verbis usus: *Magi sunt, qui munera Do-
 mino dederunt. Primus dicitur fuisse MELCHIOR senex & canus;*
barba proluxa & capillis; tunica hyacinthina, sagoque mileno, &
calceamentis, hyacinthino & albo mixto opere pro mitriario varia
compositionis, indutus, Aurum obtulit Domino Regi. Secundus,
nomine CASPAR, juvenis imberbis, rubicundus, milenica tunica. sa-
go rubro, calceamentis hyacinthinis vestitus, Thure, quasi Deo obla-
tione digna, Deum honorabat. Tertius fuscus, integre barbatus,
BALTHASAR nomine, habens tunicam rubeam, albo vario, calcea-
mentis milenicis amictus; per myrrham Filium hominis moriturum
professus est. Eadem cautela adhibenda est circa Scriptores Ori-
entales, qui Magorum Historiam commemorantes varia sacræ
narrationi assuere haud erubuerunt, quæ nullam prorsus fidem
merentur. Specimen eorum exhibet Vir excellentissimi no-
minis, atque eruditæ lectionis, quem Linguas, quas Oriens ha-
bet, apud Oxonienses interpretatum esse constat, Thomas Hyde,
in Historia Religionis Veterum Persarum, C. XXXI. p. 377. verbis.
Bar Bablut Syri usus, ac tum numerum eorum, tum ipsorum
nomina describens: Fuerunt autem numero tredecim, sicut tra-
dunt pleræque Historie de eis scriptæ. Et ii, qui venerunt, erant

50371

B

Prin-



Principes famigeratissimi, & Viri notissimi terra Persidis: Et fuerunt apud eos populi multi & exercitus plus quam mille virorum: adeo ut turbata fuerit Jerusalem, sed quidem prohibuerunt hoc dicere Herodi. ---- Nomina Magorum Domini nostri, fuerunt Aruphno, & Hurmon, & Tachsesh. Sunt qui eos sic vocarunt, Gudphorbun, & Artachshasht, Labudo & Alphero. Lingua Persica vocati fuere Amad, & Zud-Amad, & Drust-Amad. In alio Exemplari Abduiyad, & Hadundat filius Artaban, & Shetaph filius Gudophor & Arshik filius Tabdus & Zerwand filius Warwarand, & Arihu filius Chosrav, & Artachshasht filius Chasblith, & Eshtambuzon filius Chasbrun, & Mabduk filius Hubom, & Achsbireth filius Sachbou, & Sordolach filius Beldon, & Marduk filius Bel. Hæc ergo, atque his simillima, legentes, non possunt non in eam devenire sententiam, $\sigma\sigma\sigma\sigma\Phi\iota\sigma\upsilon\mu\epsilon\upsilon\varsigma\ \mu\acute{\upsilon}\delta\eta\varsigma$, uti à Petro dicuntur, 2. Ep. I. v. 10. haud esse recipiendos, sed ad Historiæ sacræ ductum circa hoc negotium unice respici debere, quo veritas eo magis in aprium proferatur, nec ulla ratione obfussetur.

§. 4. Extremo illud quoque monendum esse arbitror, in Veteri quidem Testamento *Gentium* vocationem & conversionem disertis admodum verbis indicatam fuisse, prout ex Ps. LXXII. & Es. LX. colligi potest, in Novo tamen Testamento Scriptorem illum, sapius hætenus laudatum, in explananda Magorum Historia præcipue adhibendum esse in consilium. Hoc tamen insimul probe attendendum est, Oracula illa, ante Christi adventum edita, ita esse exponenda, ne aliquid statuat, quod cum veritate minus congruat. Sic parum recto talo stare videtur sententia existimantium, Magos Regum numero haud esse eximendos, eo quod Regius Psaltes, Salomo scilicet v. 10. mentionem faciat Regum, munera adducturorum. Etenim non intelligi hic debent Personæ Regum, sed integra Regna,

Regna, & homines regnorum, eadem incolentes, ceu accurate notat, Phrases Propheticas explicans, B. D. Seb. Schmidius in *Explic. Pf. Prophet. p. 361.* Eadem mens jamdudum fuit summæ eruditionis Viro, B. D. Mart. Chemnitio, in *Harm. Evangel. C. X. f. 107.* ita commentanti: *Quod Pf. 72. v. 10. meminit de Regibus Tharsis & Saba, non loquitur de Magis, sed de vocatione gentium, quæ ex omnibus mundi partibus Christi accessura erant. Et quidem forsan, ut in Magis præludium vocationis Gentium ex omnibus mundi partibus ostenderent, non impie de Magis, ex tribus orbis partibus convenientibus, cogitamus. Potest etiam hinc intelligi, unde orta sit opinio, quasi Magi reges fuerint.*

§. 5. Non immerito autem ipsius *Matthæi* narrationem retinendam esse monui, ut antiquos illos ac recentiores veteratores insimul refutem, qui olim negarunt, duo capita *Matthæi* ad Evangelium sancti hujus scriptoris referri posse, eo quod Christum verum hominem esse tradant, atque stellæ, in Oriente à Magis conspectæ, mentio injiciatur. Verum, ut ad posterius nunc respondeam, (prius enim nulla prorsus indiget refutatione) valde errant Anabaptistæ, acsi pravum gentilium morem imitari vellemus, atque à stella illa plane extraordinaria fortunam Jesu nati dependisse statueremus. Ea enim Magis apparuit, ut ista permoti Jesum recens natum quærerent, non vero indicavit, ex astris de fati Salvatoris augurium esse capiendum. Vid. *Sixti Senensis Biblioth. S. L. VII. p. 729. & 731. & Cardin. Baronii Annal. Eccles. T. I. f. 62.* Quemadmodum autem nihil nobis intercedit commercii cum Astrologia judicaria, contra quam solide disputavit *Frid. Spanhemius Dub. Evangel. P. II. Dub. XXXIII. p. 314. sqq.* Ita pari ratione eos vituperandos esse arbitramur, qui Christi res gestas cum Astris conjungere malunt, atque propterea Thema quoque Natalitium eidem erigi posse somniant, quorum delirium mascule refuta-

vit Celeb. Du. D. Jo. Andr. Schmidius, in pec. Dissert. de Themate Christi Natalisio, à nonnullis impie & absurde erecto, Jenæ A. MDCLXXXIII. conscripta.

§. 6. Verum, dum Matthaum præeuntem sequi apud animum meum constitui, ordine omnia enarrantem, ita commentationem meam instituam, ut dicenda ex sacra scriptura probem, atque sic, Magos, vera fide nobilitatos fuisse, sufficienter demonstrarem.

THESIS SECUNDA.

Magis, tempore Herodis, Christo nato Hierosolymam venientibus, vera fides attribui potest.

Ex Jeric.

§. 1. **L**ubet autem hanc Thesin statim præmittere, & fundamenti loco ponere, antequam distincte de Magorum Fide, ejusque Auctore, Objecto, Forma & Effectibus, ut & reliquis eo spectantibus argumentis, disserere incipiam. Quapropter ad ipsos Magos, quibus fides divinitus data fuit, sine mora me converto. Ubi quidem inficias ire nolo, varias Eruditorum deprehendi sententias, tum circa originem vocis *Magi*, tum circa horum Christi Visitorum personas, patriam, & vitæ ac doctrinæ rationes, ut, quo primum me vertam, dubius plane hæream, ac fluctuare incipiam. Verum, ut aliqua ex parte officio meo faciam satis, pauca tantum in medium proferam, ad Auctores cætera provocaturus, qui plura collegerunt. Existimat vero clarissimus Editor *Historie Philosophicæ, Thomæ Stanleji*, ex Anglico sermone in Latinum translata, & Lipsiæ A. MDCCXI. recusa, in *Ind. VII. ad Hist. Orient.* Magos dictos esse, vel in lingua Chaldaica, *מגו* *magou*, quod in participio habet *מג* *mag*, *dissolvens, liquefaciens,*

faciens, atque in Metaphorico sensu notat vires frangens ac debilitans, eo quod Magiæ ope vires exercitus frangantur, eisdemque terror haud levis immitti queat; Vel Magos dictos fuisse מַגִּימִין *maghim* murmuratores, quod inter sacra varias preces murmurare soleant. Ad Persicam linguam nos respicere jubet *Tb. Hyde l. c. p. 372. sq.* judicans à nomine Persico Mog Chaldaeos fecisse Mag, unde Græcos eos vocare *Μάγος*. Cui sententiæ pariter adstipulatur *B. D. Aug. Pfeifferus*, in *Dubiiis Vexatis Script. S. p. 887. sq.* ad *Prophyrii & Ciceronis* verba provocans, in quibus vocantur Sapientes Persarum. Plura dabunt laudatus *Casaubonus* in *doctis Exercit. Anti Baron. p. 162. sq.* quas (ut cum *B. D. Wilh. Lysero* ex ipsius *Dissert. de Vocatione Gentium, Vitemb. A. MDCXXIX.* conscripta, §. XVII. loquar) *lectione dignas judicamus.* *Rich. Montacutius l. c. p. 167. sqq.* *Dan. Heinsius* in *Exercit. sacris ad Nov. Test. f. 8. sq.* *Jo. Casp. Svicerus Thes. Eccles. T. II. f. 282. sq.* *B. D. G. Wegnerus* in *Annotatis in Matthæum ejusque Cap. II.* Quinam autem illi fuerint, qui Christum visiterunt, nunc est inquirendum. Statim autem dissimulare nolo, nonnullos apud *Chemnitium* in *Harm. Evangel. l. c. f. 106. & Lyserum l. c. §. XVI.* arbitrari, eos Magiæ illicitæ (varias enim Magiæ species dari, post alios probavit *B. D. Sam. Pomarius* in *Colleg. Phys. Synopt. Disp. XIII. de Magia, & Franc. Moncaius* in prolixa *Disquisitione Lips. A. MDCLXXXIII.* publici juris facta, de *Magia Divinatrice & Operatrice, p. 1. 2.*) fuisse studiosos, eamque sententiam nec voci *Act. II. 9. XIII, 8.* nec rei, & mysterio, contrariari, si scilicet homines extremæ impietatis è gentilium numero ad Christum vocati fuissent. Alii vero per hosce Magos intellectos volunt Viros, sapientia tam divina, quam humana, excellentes, quemadmodum de *Gymnosophistis*, Indorum Philosophis, notum est, quod eximiam sibi comparaverint rerum variarum scientiam, magnoque



in pretio fuerint habiti, de quibus peculiaris extat *Dissertatio Historica*, sub praesidio optimi mei Praeceptoris, *Dr. D. Job. Schmidii*, in *Acad. Lips. A. MDCLXXXIII.* proposita. In qua sententia ipsum *Jo. Brentium* deprehendo in *Comment. in Matthaeum f. 60.* ita scribentem: *Magi fuerunt, in sua gente inter Ethnicos viri doctrina praestantes, quos Graeci vocant Philosophos, nos Magistros vocabulo à nomine Magi deducto.* Paucis deinde interjectis denuo hæc addit: *Apparet, eos fuisse illustres & praestantes viros, quippe qui eruditi fuerint ea disciplina, qua necesse erat Reges Persarum imbutos esse.* De *Magis*, tum generatim, tum speciatim nostris, quid judicandum sit, *Jac. Perizonius*, illustre *Eruditorum Batavorum* decus, in *Notis, ad Ælianum* (quam novissimam *Æliani* editionem, *Lugduni Batavorum A. MDCCI.* editam *Cornelius Adami* in *Observat. Philol. Theol. P. I. p. 77. incomparabilem* vocat) *p. 94.* hisce verbis, quæ tamen omni ex parte mea facere haud volo, exposuit: *Fuerunt Magi antiquissimis temporibus apud Persas Philosophi, & simul Sacerdotes, ac Theologi, quæ primitus apud omnes pene gentes fuisse conjuncta. Attendebant vero maxime ad motus syderum, & ex iis prædixerunt primum tempestates futuras, deinde vero res etiam alias, & maxime Fata hominum. Ex his principiis repetendus est etiam Magorum ex Oriente adventus, qui ex syderibus cognoverunt, Regem Judeis, Dominum Orbi terrarum, esse natum, dirigente hanc tunc eorum artem, ceteroquin haud dubie vanam, sapientissima Dei providentia. Plura de iisdem habent B. D. Casp. Bertramus in *Comment. in Matth. p. 27. sq.* B. Dilherrus *T. I. Disput. p. 184. sq.* qui ad *Alphonsi Salmeronis Comment. Evang. T. I. Tract. XXXIIX. p. 338. sqq.* provocat. B. Schmidius in *Notis ad N. T. f. 27.* B. Job. Cunr. Dietericus in *Antiquit. N. T. P. II. f. 1. sq.* Th. Hyde *l. c. p. 373. sqq.* B. Dorscheus in *Comment. in Quat. Evangel. p. 27.* Wegnerus *l. c.* Petrus Daniel Huctius in*

Demon-

Demonstrat. Evangel. p. 154. sq. & laudata Dn. M. Herolai Dis-
sertatio Cap. III. quod genuinam Magorum Philosophiam descri-
bit. Reges quod fuerint, vulgo quidem, est parum recte, fuit
creditum. Ipse enim Matthaeus, qui historiam Magorum orien-
talium diligenter persecutus, iudice B. D. Aegidio Hunno T. III.
Opp. Latin. f. 29. illos non vocavit Reges, nunquam hanc digni-
tatem silentio praetermissurus, si eadem fuissent praediti, eo
quod summus honos in recens natum Dominum redundasset,
si a Regibus statim tam benigne fuisset exceptus cultusve.
Deinde iter, quod in se susceperunt, non videtur regibus, sed
legatis potius eorum, ac privatis hominibus competere. Quod
ipsum quoque eorum ingressus in Hierosolymam probat, quip-
pe qui sine ullo plane splendore fuit peractus. Ut non di-
cam, vero minime congruere, si reges fuissent, regioque co-
mitatu instructi, quod tam occulte in patriam redire quiverint.
Imo vix eo adduci possum, ut credam, hosce Reges orienta-
les, atque Romanis inimicos, tantam gratiam apud Herodem
invenire potuisse, ut ab illo tam benevole exciperentur, hoc
ipso enim odium Caesaris ipsi metuendum fuisse, cuilibet pa-
tere credo. Conf. B. Gerhardus in Matthaeum p. 95. sq. B. Dor-
schei selectissimae observationes, quibus Evangelistarum Libros
illustravit, p. 27. sq. B. Wegneri Annotata in h. l. Sana. Basnagius
Annal. Ecclesiast. Politic. P. I. f. 129. Boxhornii Historia Univer-
salis p. 58. sq. Hospinianus de Festis Christianor. f. 44. Fr. Spanbe-
mii Dub. Evangel. P. II. Dub. XX. p. 256. sq. Tres fuisse Ma-
gos, eadem, qua Regia dignitas ipsis defertur, certitudine as-
feritur. Vocatur quidem in nostra Ecclesia Festum illud, quo
Magorum Historia publice praelegi & commendari solet, Festi-
vitatis trium Regum, verum hac ipsa appellatione non approba-
tur erronea illa ac recepta sententia de Majestate Magorum Re-
gia, sed communis tantum denominatio retinetur, omni post-
habito

APE
 habito errore, qui circa numerum & vulgo creditam regiam auctoritatem Magorum committi solet. Placet itaque ἐπιμαρτυρία *Erasmi Schmidii*, Philologi pii atque docti, quæ in *Notis in N. T.* f. 25. legitur, & Coetum nostrum omni culpa vacare docet, atque hisce verbis concepta legitur: *Id nomen (der Drey Könige Tag) ita vulgo invaluit, ut hodieque etiam ex Papatu egressi ita appellemus, nomen sine re retinentes, ut fit in multis aliis: & hic quoque citra lesionem conscientia fieri potest, modo rem ipsam recte teneamus.* Mirum autem est, τὸν δῶνα, (cujus ex *Pe-tavii Libr. I. de Opifici sex dierum, c. 4. p. 242.* meminit *B. D. Thom. Ittigius in Selectis Hist. Eccles. Sec. I. Capit. p. 344.*) hosce *Henochum, Melchisedechum & Eliam* fuisse, audacter asserere, atque à Pontificiis communiter eorum nomina indicari juxta atque reverenter admodum haberi: Celebratur enim ab iisdem, quibusdam in locis Dies Natalis *Casparis*, die I. *Melchioris*, die VI. *Balthasaris*, die XI. Januarii, notante *T. I. Act. Sanct. Jo. Bollandi f. 8. 323. 664.* At *faceffant nuge. Incerta sane pro certis habere, magna temeritatis est, præstatque, tam de numero, quam de Magorum nominibus, cum majorum gentium Patribus in silentium descendere, ut verba Sam. Basnagii è libro citato f. 130. hic repetam.* Unde autem illi Viri venerint, accurate dici haud potest. Scriptor facer, ἀπὸ ἀνατολῶν eos venisse, asserit. Hinc eos *Orientalis* vocandos esse, & locum natalem, non vero terminum à quo profectionis Magorum describi, contendit *Carolus Maria du Veil, in Expositione literali Evangelii sec. Matthæum p. 13.* Aliis tamen Interpretibus videtur, quod Magi non ad vicinas gentes, sed ad longius dissitos spectaverint populos, atque sic ex Persia, Media, aut Chaldæa, per Arabiam venerint in Judæam, præprimis cum Oriens sæpe in sacris pro Persis & Medis accipiatur. *1. Reg. II, 30. Jesh. II, 6. Ezech. XXV, 4. Conf. Wegneri Annotata in h. l. Persiam ipsorum*

rum

rum Patriam fuisse, cum B. Chemnitio probat B. Dorscheus l. c. p. 29. ad vocabulum Magorum, Situm Persia, Morem adorandi, atque regionem, Magis refertam, & Danielis vaticinia, Persis haud ignota, eo quod Danieli hoc in regno floruerit, respiciens. Eruditissimus Anglorum, Thomas Hyde, cujus jam saepe mentionem injeci, in libro valde erudito, *Historiam Religionis veterum Persarum* synoptice complectente, p. 376. de ipsorum Patria sequentia tradit: *Cum dicantur venisse ex Oriente, idque longo itinere, ego potius sentio cum doctissimo Petavio, qui statuit, Magos inde venisse, ubi id genus hominum maxime floruit. Ex Arabia venisse probabilitate caret. Sic ille. Venerunt itaque originaliter ex Persia: sed in hoc itinere transferunt per Arabiam: nam à Persia ad Judaeam via directa est per medium Mesopotamiae, & de in transmitendo Euphratem juxta Bir, per Arabiae partem transeundum erat ad Judaeam. Verum Evangelista non citra rationem forte oppressit locum specialem, ut otiosis disputationibus hac de re superfederemus, prudenter monet B. Dorscheus l. c. p. 28. Interim sufficit nobis, nosse, Christum non solum Judaeis, Pastoribus puta Bethlehemiticis, qui prope erant, sed etiam Gentibus, è remotis terrae angulis evocatis, innotuisse, visum fuisse, & vera fide exceptum. Eph. II, 17.*

§. 2. Labet vero ulterius nunc progredi, atque tempus Adventus Magorum brevibus adhuc perlustrare. Notat autem Matthaeus, tempus generale descripturus, eosdem Jerosolymam venisse, τὸ Ἰησοῦ γεννηθέντι ἐν βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, ἐν ἡμέραις Ἡρώδης τοῦ βασιλέως. Herodis itaque tempore, cum modo Christus promissus in hanc lucem editus fuisset, solennis horum adventus contigit. Cum itaque de Christo nato nunc commentari haud velim, sed, quando de *Objecto fidei* sermo mihi instituendus fuerit, commodissime illius mentionem fieri posse persuasum habeam, paucis tantum de *Herode Rege* quaedam sum prolaturus in medium. Statim vero occurrit notatu digna Synecdoche speciei pro genere, dum ipsi *dies* pro *tempore* & *annis* ponuntur, in diebus Herodis, vel Herodis tempore, cum is fasces imperii teneret, Magos Hierosolymam appulisse. Num vero anno Herodis XXXIII. vel XXXIV. vel XXIX. prout quibusdam videtur apud *Gerhard. l. c. p. 92.* accesserint, explicatu mihi erit difficilimum. De ipso autem *Herode* disquiritur, num is gentilis, an Judaeus, an vero *Propheta* fuerit? Minus itaque variorum Auctorum sententiis, ea videtur

tur *B. Dorscheal. l. c. p. 25. sq.* omnium optima esse sententia, quod Herodes sanguine quidem gentilis, ac Idumæus vocari possit, religione tamen Judæus, ac Profelytus fuerit. Etenim si plane gentilis fuisset, ipsi Judæi eum non tolerassent, nec Judaice vixisset, nec gentibus obtulisset, templum Hierosolymitanum occupaturus, ne ab illis profanaretur, nec Hyrcanus, summus Pontifex, eidem neptem suam in matrimonium dedisset. Ea tamen opinio displicet *Sam. Basnagiol. l. c. f. 22.* variis rationibus probanti, eundem profelytum dici haud posse. Provo- cat enim ad baptismum, octava die eidem collatum, nec non ad disciplinam & ritus Judæorum, quibus fuit imbutus, & conjugium, cum Hyrcani nepte, Mariamne, contractum, ratus, eandem illi nequaquam fuisse desponsatam, si modo præputium amisisset, cum ipsi Profelyti nullius fuerint pretii apud Judæos. Hisce rationibus denique subjungit *Josephi* silentium, qui, cum satis accurate Herodis res gestas descriptas dederit, ipsius Baptismi, si tum Antipater, tum Herodes Profelyti dicendi essent, nullam fecerit mentionem. Quicquid vero sit de illo litigio, quod Eruditis, Herodum Historiam describen- tibus & vindicantibus, (vid. *Is. Casauboni Exercit. Anti. Baron. p. 23. sqq. Spanhemii Dubior. Evang. P. II. Dub. XIII. p. I. 213. sqq. B. Christoph. Cellarii Flaviana Herodum Historia, Hale A. MDCXCVI.* contexta, & ab *Job. Harduini* exceptionibus liberata, ac *Strictura Theologica* in *Jo. Harduini Opera selecta*, in *Acad. Julia A. MDCCX.* sub præf. *Dn. D. Jo. Andr. Schmid.* proposita, p. 13. sq.) componendam relinquo, *Herodem*, (quem Judæum ascitum dici posse credit *Basnagius*) tunc temporis Regem Judæorum fuisse, cum Magi Jerosolymam intrarent, neminem negaturum esse confido. Vocatur enim tum à Matthæo, in nostra Historia Βασιλῆς, tum à Luca c. I, 5. idem titulus eidem tribuitur. Vulgo *Ascalonia* salutatur, quo eo melius à Filiis, quos numero quatuor habuit, discerni queat, minus autem recte hoc fieri, modo nominatus *Basnagius l. c. f. 22.* affirmat, eo quod Herodes Patre Antipatro, Idumæo, sit prognatus, Ascalone nil pertinente ad Idumæam. Eam tamen causam, cur id cognominis reportaverit, subjungens, quod Avus Herodis, Antipas, magnam cum Ascalonitis amicitiam coluerit, istam in urbem se recepturus, si forte Alexandri regis gratia excidisset, atque illam urbem splendidis operibus exornaverit, ædesque regias forori Salo-

Salomæ apud Aſcalonem incolendas tradiderit. Forſan *Aſcalonita* dicitur ob nativitatem, & educationem ibidem factam, ceu *Spanbe- mius l. c. p. 225.* conjicit. Plura de hoc *Herode*, Magno dicto, ejuſque rebus geſtis, ex *Joſephi Antiquitatum* libris, & laudati *Basnagii* obser- vatiunculis, colligi queunt, atque, qua ratione apte inter ſe cohæ- rent, dijudicari.

§. 3. Hujus itaque, quem modo nominavi, Regis, ætate Magi Jerofolymitanis cœperunt innotescere. Tempus vero ſpeciale, num ante Chriſti præſentationem in templo factam, num vero poſt illam, ipſorum adventus contigerit, indagaturus, diverſas Erudi- torum ſententias deprehendo, ut, quænam earum amplectenda ſit, dubius ferme hæream. Dubium autem inde videtur oriri, quod Lucas ſcribit, Chriſtum, finitis purgationis diebus, Hieroſolymam fuiſſe adductum, ac paulo poſt reverſum in Galilæam, civitatem ſuam *c. II. 22. 39.* Matthæus vero una eademque ſerie iter Magorum & Joſephi fugam. *v. 13.* exponit. Hinc non ſatis apparet, ubi iter Magorum ſit inferendum. Satis autem convenienter dubium hoc ſolvi poſſe credo, ſi ſtatuatur, hiftoriam purificationis inferendam eſſe *v. 13.* Mat- thæi. Scilicet Magis abeuntibus Chriſtum in templo fuiſſe oblatum, qua ſolemnitate peracta, Angelum Joſepho fugam imperaſſe, eur- demque illam fuiſſe. Eadem ratione Magorum adventus apud Lucam poſt peractam circumciſionem eſſet commemorandus, ut in- tegram Chriſti nati hiftoriam ſibi quis eo melius concipere poſſet. Ante vero purificationem eos adveniſſe, probabile videtur, quia (1) Magi adhuc in oppido Bethlehemitico puerum invenerunt, *Matth. II, 9. 11.* ipſuſque parentes, purificatione peracta, ſtatim in Galilæam cum eo fuerunt reverſi, *Luc. II, 39.* (2) Nativitas Chriſti Civibus Hie- roſolymitanis ante oblationem fuit incognita, *Matth. II, 3. 4.* ac poſt eandem demum Sacerdotio Levitico, Simeoni aliisque innotuit. Prætereo alias rationes, quas Eruditi, pro hac militantes ſententia, proferre ſolent, è quibus *B. Dorscheum*, præprimis adduco ſolide ne- gantium argumenta *l. c. p. 22. ſqq.* elidentem. Cui addantur *B. Chemn. Harm. Evang. f. 104. ſq.* *B. Gerhard. l. c. p. 103.* *Wegnerus in h. l.* Inter eos, qui poſt purificationem Magos veniſſe conjiciunt, præcipuum ferme locum occupat è recentioribus, *Jo. Lightfootus*, cujus tamen objectio- nes,



nes, quæ *T. I. Opp. f. 206.* leguntur, adhibitis in consilium *B. Dorschei* observationibus, facile tolli posse autumo. Dum vero *B. Berramus* in *b. l. p. 28.* conjicit, post *hadagio p. d. v.* adventum Magorum fuisse institutum, quia Maria non aurum, sed pauperum sacrificium, obtulit, facile illud dilui posse credo, cum Maria, conditionis fixæ haud inmemor, ea obtulerit, quæ ipsius statui maxime congruebant. Ut non dicam, de auri à Magis oblatis quantitate non constare, an scilicet tantum obtulerint, quod Christi parentes ditiores reddere potuerit; Si magnam auri vim accepissent, ipse forsân Josephus non fuisset coactus artem fabrilem exercere, sed illâ pecunia accepta frui, atque sic eo melius vitam sustentare potuisset. Verum quæstio hæc non necessarium aliquem fidei salutaris articulum concernit, quapropter unicuique liberum esse volo, quam opinionem ut maxime probabilem amplecti nunc velit.

§. 4. Verum hoc silentio prætermitti haud debet, ex Historia sacra nullam peti posse probationem asserti istius, Magos non suo nomine, sed tanquam lectos legatos à toto Sapientum Orientalium choro, Hierosolymam fuisse profectos. Favet huic opinioni erudita Nobilitatis, qua Marchia cum Misnia enituit, decus prorsus eximium, *Cass. Barbisus*, in vasto *Adversariorum Opere Lib. XX. c. XXII. f. 111.* ad *Juvenum & Gaudentium* provocans; cui tamen contrariatur *Marcus Zverius Boxborn.* in *Historia Universali, p. 61.* verba utriusque scriptoris haud male exponens & vindicans. Nec alienus ab hac opinione est *Thomas Hyde l. c. p. 379.* quippe qui existimat, à Rege Parthorum, qui *Phraates* fuit dictus, Magos fuisse missos, vel saltem, eo haud inscio, ipsos venisse in Judæam. Verum, si huic rei fides haberi deberet, crederem sane, Scriptorem nostrum eam quoque attigisse, & notasse. Et enim is, dum meminit horum magorum, statim insimul subindicasset, eos à reliquis gentibus fuisse ablegatos, & venisse communi nomine adoratum. Hoc sane pacto haud exiguus honos in ipsum Christum redundasset, quod integræ nationes eum receperint. Deinde videtur assertio horum Christi regnum, quod *Spirituale* est, destrueret & in mere *politico* transformare. Ad Reges enim mundanos legationes populorum amplissima diriguntur, quas vero Christus Rex, cujus regnum, juxta ipsius Christi pronunciatum *Job. XXX, 36.* non fuit

397

fuit de mundo, nunquam desideravit. Quemadmodum vero pauci inter Judæos tunc temporis eum visitaverant, ita pauci quoque gentilium turba eum salutarunt, qui propterea *primitia gentium* vocari solent. Validioribus itaque argumentis istos, qui communi nomine Magos missos fuisse tradunt, instructos esse oportet, cum, silente Scriptura, nihil certi affirmari posse habeam pervasum.

§. 5. Cursum ergo suum eo direxerunt, ut Hierosolymam intrarent, atque Regem recens natum in eadem civitate invenirent. Hæc *sancta civitas*, uti *Matthæus* eandem *C. IV, 5.* vocat, Judææ erat Metropolis, atque ceteris urbibus & excelsior & celebrior, ut iisdem omnem palmam præripuerit. Ista Regum præprimis sedes *Sedec* primum fuit dicta, postea *Salem* vocata, ac tandem nomen *Hierosolyma* accepit, & non solum Judæos in sui admirationem rapuit, sed apud exterarum quoque Nationes inclaruit, ut nemini mirum esse debeat, Magos recta Hierosolymam contendisse, atque firmiter credidisse, aut ibidem natum esse novum Regem, aut se isto in loco accuratam ejus notitiam esse consecuturos. Spectat huc judicium *B. Lutheri* nostri, in *Postill. Domest. f. 117.* Magos, rationis fretos argumentis, hisce verbis describentis: Ihre Vernunft führet sie biß gen Jerusalem, denn sie denken also, der Jüden König findet man nirgend dem zu Jerusalem in einem herrlichen Schloß, und gülden Kammer, da sißet er auf einen Königlichen Stuel, und sind viele geharnischte Männer bestellet, die auf Ihn warten. Denn wie wolte die Vernunft von einem Könige anders denken? Aber solche Gedanken, weil sie ohne Wort sind, fassen Christum nicht recht, darum fehlen die Weisen mit ihren Gedanken, und treffen das Kindlein zu Jerusalem nicht an, da doch die heilige Stadt war Gottes Tempel und Wohnung. Minime tamen erratum iri credo, si divina inde agnoscatur Providentia, qua factum, ut Hierosolymam visitandam esse autumarent, quo plenior notitiam Regis nati sibi acquirerent.

§. 6. Hisce nunc *veram fidem* attribuendam esse, arbitror. Per illam vero non intellectam volo fidem aliquam *generalem*, ita ut Magi tantum *historicam notitiam* habuerint eorum, quæ vel ipsis à Deo fuerunt revelata, vel à Doctoribus Synedrii Hierosolymitani tradita, ac deinde *generalem assensionem* præbuerint, ea omnia vera esse, quæ tum ipse Deus eis proposuit, tum Legisperiti, ad Oraculum Propheticum



provocantes, asseruerunt; sed ad *fidem specialem* respicio, eaque Sapientes hosce Viros præditos fuisse, affirmo. Secundum hanc fidem specialem enim isti cognoverunt, quæsiuerunt, atque sibi applicuerunt *Christum*, recens natum, & in Christo misericordiam Dei, remittentis peccata, & gratis gratos homines reddentis. Hæc proinde *fides* vocatur *justifica*, & *salvifica*, quia gratiam justificationis fuerunt consecuti, atque si in illa permanerint, nec fidem finaliter excusserint, ad æternam salutem adspiraverunt. Quam in re ipsos Doctores Ecclesiæ nostratæ habeo consentientes, qui fidem justificam eisdem attribunt, atque, hinc, gratis justificationem impertitam fuisse, docent. Ita enim *Phil. Melancthon. P. III. Opp. Theol. f. 26.* scribit: *Cum de vocatione gentium* (Magorum scilicet, quorum historiam exposuerat) *dicitur, simul comprehenditur hæc doctrina, quod gratis, non propter legem, donetur remissio peccatorum.* Ejusdem sententiæ est *Jo. Brentius in Comm. in b.l. f. 71.* hunc in modum commentans: *Cum proponitur nobis vocatione gentium, admonemur, quod remissio peccatorum & vita æterna non contingant nobis propter merita nostrorum operum, sed tantum ex gratuita clementia Dei propter Christum, per fidem. Gentes enim nulla prorsus habuerunt merita, & tamen, quamprimum agnoverunt, Christum per fidem justificati, seu in gratiam accepti sunt, & consecuti sunt peccatorum remissionem, coram Deo propter Christum, sicut Act. 10. scriptum est.* Nec deest suffragio suo *B. Mart. Chemnitius in Harm. Evång. c. X. f. 106.* hisce verbis usus: *Summus ille articulus, de gratuita acceptione hominis peccatoris, quæ fit propter Mediatorem, fide, sine operibus, comprehenditur in doctrina de vocatione gentium.* Eo quoque respicit *B. D. Egid. Hunnius T. III. Opp. Lat. f. 30.* diversis gradibus notitiæ, qua Magi præditi fuerunt, commemoratis, eisdem *πληροποιεῖται firmam & inconcussam persuasionem* tribuens. Forsan autem hac in re verba ipsius *Luth. in mente* habuit, quæ in *Postill. Domest. f. 120.* ita sonant: *Dies ist ein starcker Glaube, daß die Weisen dem Propheten Micha alleine ins Maul sehen, an seinem Wort so fest hangen, und alles andere fahren lassen.* Uberius autem hoc prosequitur, atque latius deducit sæpe laudatus *Dn. M. Heroldus* in adducta de *Magis Dissertatione*, ostendens, eos *vivam* in mundi Salvatorem, Christum, *fidem* habuisse. *Vid. Cap. II. §. 9. 19-20. 25. sqq.* Et sane hoc ipsum haud difficulter probari poterit, si in secuturis, quas conscribere meditor, *Dissertatio-*

rationibus, ad Auctorem fidei, Objectum fidei, Actus essentialis, & Effectus, fidei respexero, atque sic argumentum hoc dilucide distincteque pertractaui. Meretur enim donum illud fidei, quod ipsis divinitus fuit datum, paulo accuratiorem & diligentiore contemplationem, quo & nos, qui vera fide instructi esse debemus, ipsorum exemplo admoneamur, & confirmemur, incrementa fidei tum à Deo ferriis precibus expetenda, tum patienter expectanda esse. Non male, meo iudicio, venerandus ille *Chevnitius* de integra Magorum historia iudicavit, eandem considerata haud esse indignam. *Recte quidem nec immerito fit, quod singula hujus historiae circumstantiae diligenter considerantur & expenduntur. Ad nos enim, qui ex gentibus ad communionem Filii Dei vocati sumus, peculiariter pertinet.* Quidni eadem ratione de Magorum fide pronuntiandum esset, eandem quoad omnes causas & gradus esse perlustrandam, quo eo majorem utilitatem ex hac doctrina percipiamus. *Fides ergo Magorum, si describenda esset, sequentem in modum eandem delineare vellem, atque exprimere, quod fuerit notitia doctrinae divinitus eisdem suggesta, & assensus, quo amplexi fuerunt veritatem verbi divini, Christi adventum & officium indicantis, ac fiducia, Christum recens natum, Deum & hominem, apprehendens, certoque statuens, sibi remitti peccata, seque justos reputari gratis ex sola Dei misericordia, propter solum Christum mediatorem.* Verum hac in genere de Magorum Fide annotare volui, reliqua commodiori occasione, si Deus eandem juxta atque vires concesserit, reservaturus.


E. H. I. M. E. T. P. O. N.

Pictores circa Magorum Historiam nonnunquam in errores incidere, facile probari potest. Quemadmodum enim, Nativitatem Christi depingentes, erroneo in nonnullis ducuntur penicillo, prout erudite ostendit praeclearae eruditionis & pietatis Theologus Dresdensis *Dn. M. Paul. Christianus Hilscherus*, in *Dissert. Lips. A. MDCLXXXIX.* exhibita, atque *Errores Pictorum circa Nativitatem Christi* complectente; ita in exhibendis Magis humani quid patiuntur. Sic *B. M. Phil. Robr* in *Discursu Academico*, qui *Pictorem errantem in Historia sacra A. MDCLXXXIX. Lipsia* produxit, perstringit hosce artifices, *Trigam Magorum coronatorum* exprimentes, atque uni eorum valde *fuscam faciem* alli-

allinentes. Nec tolerandum eorum errorem istum iudicat *Dn. D. Joh. Fabricius*, in *Disp. Theologica*, quæ *Historiam sacram contra nonnullos Pictorum errores in Acad. Altdorffina* A. MDCLXXXIV. vindicavit, p. 12. qui existimant, Christum in stabulo ab iisdem cultu, præmiisque, fuisse mactatum, cum tamen ex *Matth. II, 11*. probari queat, Magos ipsam domum intrasse, atque in ista pietatis edidisse specimina. Sed committit quoque istud hominum genus errorem haud levem, circa munerum oblationem, quem *B. Lutherus* in *Postill. Ecclesiast. f. m. 165. b.* edit. *Vitemb.* A. MDLXII. hisce verbis indicavit: Es wird diß Geschenck Christo nicht also geopffert seyn, wie die Mahler mahlen, daß einer Gold, der andere Weynrauch, der dritte Myrrhen, sondern sambtlich haben sie drey Stück, als für eine Person insgemein geschenckt. Verum hi errores iisdem condonari possent, modo non alium committerent, hisce periculosiorem. Notavit eundem nunquam satis laudandus *Theander* in *Postill. Domest. f. 117*. Ich selbst hab mehr vertrauzt et auf der Jungfrau Marien Gütigkeit und Fürbitte, denn auf Christi Gnad und Fürbitte. Wir sahen ihn an, wie Jhn die Mahler mahlen, auf einen Regenbogen, als einen Richter. Wie Er nun auswendig da gemahlet ward, also ward Er nur auch gebildet im Herzen. Also waren wir verführet und verleitet, waren abgefallen vom Glauben, und flohen für Christo, zu dem wir doch solten Zuflucht haben. Spectat itaque hæc Pictura ad reliquas, serio evitandas, quarum Papatus est refertissimus adversus quas haud ita pridem calammum direxi in *Dissertatione, de Pictura, Papismi Promotrice.*

T A N T V M !







Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1016040296/phys_0030







Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1016040296/phys_0032



ntes. Nec tolerandum eorum errorem istum iudicat *Dn. D. Fabricius*, in *Disp. Theologica*, quæ *Historiam sacram contra nonnullos errores in Acad. Altdorffina* A. MDCLXXXIV. vindicavit, p. 11 existimant, Christum in stabulo ab iisdem cultu, præmiisque, mactatum, cum tamen ex *Matth. II, 11*. probari queat, Magos in domum intrasse, atque in ista pietatis edidisse specimina, Sed mittit quoque istud hominum genus errorem haud levem, circummerum oblationem, quem *B. Lutherus* in *Postill. Ecclesiast. f. m. 165. t. Vitemb. A. MDLXII.* hisce verbis indicavit: Es wird diß Geßt Christo nicht also geopffert seyn, wie die Mahler mahlen, daß ein gold, der andere Weyrauch, der dritte Myrrhen, sondern sambtlich sie drey Stück, als für eine Person insgemein geschenckt. Verum quæ res iisdem condonari possent, modo non alium committentis periculosiorem. Notavit eundem nunquam satis laudatus *Theander* in *Postill. Domest. f. 117.* Ich selbst hab mehr vertrauen in der Jungfrau Marien Gültigkeit und Fürbitte, denn auf Christi Fürbitte. Wir sahen ihn an, wie ihn die Mahler mahlen, wie einen Regenbogen, als einen Richter. Wie Er nun auswendig da zu sehen ward, also ward Er nur auch gebildet im Herzen. Also waren die Menschen erführet und verleitet, waren abgefallen vom Glauben, und flohen von Christo, zu dem wir doch solten Zuflucht haben. Spectat itaque hæc sententia ad reliquas, serio evitandas, quarum Papatus est auctoritas referatissimus adversus quas haud ita pridem calamitatum maximum direxi in *Dissertatione, de Pictura, Papismi Promotrice.*

T A N T V M !

